



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 162. Quid notandum sit circa doctrinam hujus articuli.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

» &c. , quibus incumbit solvere magnatum debi-  
 » ta , uni potius solvere quàm alteri , ( nisi quis  
 » fortè jus præ aliis habeat , ut *vid. supra de ordine*  
 » *restit.* ) sed teneri omnibus solvere pro rata, *Bon.*  
 » *l. 6. V. Trul. d. 10. n. 3.*

## A D D E N D A.

928 Q. 162. *Quid notandum sit circa doctrinam hu-*  
*jus articuli. R.* Quæ *Busenbaum* habet resol. 8. de  
 contractu revenditionis , intelligenda sunt se-  
 cundùm dicta hîc à n. 902. & dicenda n. 991.  
 Quæ habet resolut. 13. de vendente rem alie-  
 nam, intellige secundùm dicta p. 1. n. 1041. Quæ  
 habet resolut. 14. de sartoribus , intellige secun-  
 dùm ibidem dicta n. 1044. Pro reliquis melius  
 explicandis jam addemus aliqua.

929 Q. 163. *An venditio debeat esse de re & pretio de-*  
*terminato. R.* Affirmativè , hinc venditio rei  
 determinatæ , aut rei determinatæ , sed facta pro  
 pretio indeterminato , est invalida , uti si dicas ,  
 vendo tibi rem aliquam , vendo tibi hoc vinum  
 justo pretio , quanti volueris &c. Ratio est , quia  
 in his casibus non potest resultare obligatio tra-  
 dendî rem vel pretium , quorum utrumque in se  
 est semper aliquid determinatum , ita *Lugo in*  
*resp. mor. l. 6. d. 18. Spor. t. 6. c. 5. n. 7.* , Valeret  
 tamen , si diceres , emo à te hunc equum , quanti  
 tu emisti , quanti in his nundinis vendentur simi-  
 les equi ; item , emo hac pecuniâ , quanta est in  
 meo marsupio &c. quia hîc à parte rei adest cer-  
 tum & determinatum pretium.

930 Q. 164. *Quid circa rerum pretia sit notandum.*  
*R.* Seqq. §. 1. Pretium , est pecunia , quæ pro  
 merce datur : hinc ante inventionem pecuniæ  
 non